Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 403
Quelle:
Copyright:

cum Biblicarum adhibito in auxilium *Isidoro*, *Pseudomacro*, *Papia*, *Huguitione* &c. et praemissis versibus 14. quorum initium:

Difficiles studeo partes, quas Biblia gestat,
Pandere, sed nequeo, latebras nisi qui manifestat &c.

et 10. aliis calci adjectis:

Hic ego doctorum compegi scripta sacrorum &c.

Retulit hos Versus e vitioso Codice *Ducangius* in Praef. *Glossarii med. et inf. Lat.* quos e meo emendare lubet. Igitur in prioribus *cum* lege *cui*, post *v.* 3. interpone hunc: *Dante iuuamen eo nihil insuperabile restat, hæc nomina* lege *nisi nomina, mihi qui* l. *quoniam, retines hoc* l. *tenet hoc, scribendi* l. *scribenti.* In posterioribus *Praevia* lege *Praevie*, *confirmator* l. *consummator*, *lux dubiorum* l. *dux*, *malorum* l. *laborum*, *egis egenorum* l. *Aegis*, *miser o quia dego Minorum* l. *numero quia dego Minorum.* Vides hic Sodalitium FF. *Minorum.* Igitur alucinata est manus Sec. XV. quae Exemplo nostro praescripsit: *Lucianus frater ordinis S. Aug. heremitarum autor hujus opusculi.* Apage hunc *Lucianum*, quem nemo Literatorum novit, et repone *Guilelmum Britonem Franciscanum Cambrum* mortuum 1356. unde Exemplum praesens eo etiam dum vivo scribi potuit. An typis unquam editum fuerit, dubito. Codices *mss.* offerunt *Ducangius cit. Waddingus*, *Fabricius*, *Oudinus*, *Tannerus.* Finito hoc Opere Nostrum etiam *Prologos Hieronymi* eodem modo exposuisse docet alius Codex, quem hic illico subjunctum habes.

CCXLV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 235. f. non una manu perscriptus, rubricis distinctus, et teste Nota praevia Collegio ducali olim legatus a *Thoma* nostro *Haselbachio*, totus *Hermeneuticus* est, et exhibet: I. Expositiones omnium *Prologorum Hieronymi* in Libros Biblicos, quas hi Versus praecedunt: U. 178

Partibus expositis textus noua cura cor angit
Et fragiles humeros bonus importabile frangit.
Biblia precedunt obscura proemia quedam.
De quibus ignoro quid ut expedit et decet edam.
Mens opus hoc horret sensus ignara laborem
Jussa subit sed iussa nequit removere timorem.
Cur quia nota sibi metuit succumbere moli.
Plus aliis de te quam tu tibi credere noli.

Im-